



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1699

Decas III. Ab anno 20. ad annum 30.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-64743](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64743)

Reliqui anni vacant quia latuit Christus, & usque ad annum trigesimum nihil de eo proditum est, præter id, quod tribus verbis Evangelista complectitur: *Erat subditus illis.*

Interea circa annum Christi decimum sextum ARCHELAUS Ethnarcha nono Principatus sui anno Romæ à legatis Samaritanorum & Judæorum de nimia crudelitate & tyrannide iudicio postulatur, & ab Augusto accersitur, Viennam Galliæ civitatem in exilium mittitur, & bona ejus fisco addicuntur.

Ex damnatione hujus Archelai certior causa redditur, quare Joseph ex Ægypto reversus noluerit venire in Judæam, auditto illic Archelaum regnare: non enim timuit successorem Herodis, cum etiam Antipas, qui in Galilæa regnavit, filius fuerit Herodis, subterfugit autem tyrannidem Archelai.

Obiit Anno 16. Augustus Imperator, & successit Tiberius Nero.



DECAS III.


✿ *Ab anno 20. ad annum 30.* ✿

Latente adhuc Christo nihil gestum reperitur quod spectat ad res ecclesiasticas.

Cre.

Credibilius est S. Josephum in hac annorum decade obivisse, quam quod quidam sine fundamento scribunt eundē post resurrectionem Domini adhuc superstitem fuisse. Si enim Passionis tempore Josephus adhuc vixisset, Dominus matrem suam non Joanni fidelissimo Virginitatis custodi commendāssēt, quæ jam Josepho fuerat commendatissima.

Pontius Pilatus anno Christi vigesimo octavo, nocte intempestâ Cæsaris imagines intulit Hierosolymam, quod ingentem inter Judæos tumultum suscitavit: multis quoque rapinis & crudelitatibus vexavit, idque integro decennio, quo eis præfuit.



DECAS IV.

✿ *Ab anno 30. ad annum 40.* ✿

31. **R**edemptor humani generis **JESUS CHRISTUS** DEUS noster, lux vera, lumine prædicationis effulgere cœpit. baptizatus igitur est Dominus a servo suo Joanne post impletum annum vitæ trigesimum, uti Baronius ex probatissimis scriptoribus, & præcipuè S. Ignatio Martyre coætaneo Christi computat, die sextâ Januarii, ut semper tenuit Ecclesia Occidentalis.

A 3

Me